

5.

Wilhelm Budé¹⁾ an Vadian.

B. 142.

Paris. (1518.) October 25.

Er hat den für ihn bestimmten Pomponius Mela noch nicht erhalten, konnte sich das Buch weder käuflich, noch von andern verschaffen und deswegen über die von Vadian seiner Beurteilung unterbreiteten Fragen nicht antworten. Freundschaftsversicherungen.

Gulielmus Budæus Ioachimo Vadiano S.

Si cum literis tuis una quoque Pomponium tuum accepissem, his literis ipsis ad ea tibi respondissem, de quibus iudicium meum petiisti. Verum post quartum quintumve diem, quam literas tuas acceperam, quum iidem ad me ipsi adulescentes Helvetii rediissent, qui mihi literas tuas reddiderant, et se habere idoneum tabellarium dicerent, cui literas ipse darem, matutino sequenti profecturum, mirari ipsi cœperunt, quod dicerem, me non posse tibi impræsens morigerari. Excusabam enim, nondum me Melam tuum vidisse, ut qui necdum a te mihi delatus nec in urbe nostra venalis esset nec apud quemquam reperiretur, a quo rogare utendum potuissem. Quare illi, a me sub vesperum digredientes, ad eum advolare se dixerunt, qui ipsum ad me librum perferendum mittendumve susceperat, quum interim, ut raptim ad te nonnihil scriberem, in animum induxi, veritus, ne tu me incuriæ aut fastidii insolentis iudicio arcessere posses, si literis tuis non respondissem, aut mecum quoquomodo²⁾ alteris literis vel iurgari vel expostulare. Si quidem, mi Vadiane (iam enim meum fecisse te videor, quod amicitiam meam, hominjs a te remotissimi, tanti esse putasti, ut in amicorum meorum numerum centuriari te postulares idque ipsum ambitiose), velim, ita tibi persuadeas, periucundas mihi literas tuas eo nomine fuisse usque adeo, ut luculento quodam loco ac conspicuo in numeris meis nomen tuum ascripturus sim. Etenim hoc libens hilarisque fecerim, ut Vadiano Glareanoque capite complectendo de nomine ipso universo Helvetiaco bene merear, quocum ipso nunc Francia fœdere coniuncta est non novo, sed veteri, etsi aliquamdiu deterrimi cuiuspiam genij invidia interrupto, neque vero, ut temporarium hoc fœdus esse quispiam male ominator aut contendat aut suspicari se dictitet. In causam tamen publicam animo tam obnixo incumbere mihi persuaserim, ut, si rursus bella exoriantur me vivo inter nostros et Helvetios, ego quoque hostem me protinus doctorum hominum profitear et eis bellum indicam una cum republica. Ecquis est autem humanitate

hac literaria perimbutus, qui, quas amicitias in gente quaque contraxerit doctrinæ commercio, quos amicos in externis provinciis industria non vulgari suffragatrice emeritus sit et adeptus, quam gratiam in longinquis locis ab existimatissimo quoque inierit, commendatione famæ nec inani aucupio nec illiberaliter collectę: eas ipse amicitias, eam gratiam iis amicis renuntiare^{b)} non nolit, statim atque rempublicam gerentibus consiliorum pacis satietas aut bellicarum rerum cupido incesserit? Mihi certe, ut arbitror, hoc nunquam in mentem ita venerit, ut assentiar, qui nullum unquam operæ pretium^{b)} maius aut certe luculentius optare huiusce meæ industriæ sustinui, quam hactenus mihi obtigit, ut, in patria non obscuro loco natus, eo demum nomine inclaruerim, quod apud exteros iam videbar innotescere fama propemodum illustri. Mihi vero ipse, quum haud ita multum favere natura comparatus sim, tamen gratulari iam cœpi, quod de meis amoribus et deliciis, id est de literarum studio pertinaci, amari me ac deamari a viris gravissimis externis iuxta nostratibusque video. Vale, vir doctissime, et perge et a me et ab aliis dissentire, cum veritatis indagandæ ratio ita tulerit. Hac enim ego lege in meis scriptis usus sum, quam in me usurpari æquissime patiar, modo absit animus inferendæ contumeliæ. Parisiis, 8. Kalendas^{c)} Novembres.

(Adresse fehlt.)

a) „quoquo“ mit Abkürzungszeichen über der zweiten Silbe. — b) „c“ für „t“. — c) „cal.“.

1) Von dem französischen Humanisten *Wilhelm Budé* (1467—1540) ist nur dieser eine Brief an Vadian vorhanden. Als Jahresdatum ist mit Sicherheit 1518 anzusetzen, als das Jahr, in welchem die erste Auflage der vadianischen Ausgabe des Pomponius Mela erschienen ist.